



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

Tanner, Adam

Ingolstadii, 1626

Quæstio V. De Immutabilitate, Æternitate, & vnitate Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

inquit, quod si per impossibile penatur, locum euacuari, tunc remanere intelligitur capacitas loci priuata: capacitas aliquid est, & in illa DEVS est, priuatio autem nihil est, & in illa DEVS esse non potest. Vbi videtur duo distinguere in illo loco, videlicet ipsam priuationem corporis, seu vacuitatem per se nude spectatam; secundo, vacuum in concreto, seu capacitatem illam superficiæ ambientis, vt apta est continere locatum: in illa vt sic, negat Deum esse; in hac affirmat. Idem cum eadem distinctione video nunc etiam tradi à Gillio lib. 2. tract. 9. cap. 19. num. 3.

Idem plane supponit S. Augustinus l. c. nimirum absurdum esse, vlla ponere locorum spatia, in quibus Deus præsens non addit. Idem significat S. Thomas hic q. 8. a. 2. cum docet, Deum esse vbiq; adeoque in omni loco, etiam vt locus est; hic autem de quo loquimur, locus est. Ergo.

Neque verò contra hanc assertionem procedunt argumenta superius facta contra spatia imaginaria: istud enim est verum & reale spatium; imo & verus locus: recte ergo dici potest, ibi & in illo aliquid esse. Atqui, dices, etiam illa vacuitas intra superficiem contenta, est merum nomen, adeoque vel negatio pura, vel certe priuatio. Ergo in illa nihil est, aut esse potest, vt supra argumentabamur. Respondetur, aliud esse vacuum, aliud vacuitatem: nos dicimus in vacuo, & intra vacuum esse Deum, non in vacuitate, vt loquuntur etiam Bonauentura & Gillius loc. cit. quantum & hæc non potest esse, nisi nominis quaestio.

Assertio VII. Deus absque omni sui mutatione reali, & omnia, si quæ de nouo dantur spatia, & loca replet; & priora, si desinant esse, deserit, per solam ipsarum rerum immutationem. Est extra controuersiam apud cit. & asseritur à Iustino Martyre dial. cont. Tryphonem, & à S. Augustino lib. 7. de ciuit. Dei c. 30. & l. 16. cap. 5. Ratio sumitur, tum ex dictis dub. præcedent. vbi docuimus, præsentiam Dei, in loco aut rebus creatis nihil reale saperaddere, Dei existentia

in seipso, sed solam denominationem extrinsecam; tum ab immutabilitate DEI, de qua quæst. seq. Vnde patebit, erroneum esse dicere, Deum in se ideo mutari, quod in his, aut illis rebus, seu locis esse primum incipiat. Secus est, si loquamur de mutatione relationis rationis, siue denominationis extrinsecæ, qua nepe respectus quidam extrinsecus præsentia variatur, vt rectè Vasquez loc. cit. num. 28. Idem fit in denominationibus, quæ sumuntur ab actione DEI transeunte.

Vnde colligitur, etiamsi totum hoc vniuersum localiter moueretur, secundum lineam rectam, (quod negant fieri posse Bannes hic artic. 2. & alij quidam recentiores, nisi ponatur extra hoc vniuersum realis quidam terminus, vnde sumi possit distantia noua, per motum acquirenda; à quibus dissentit Vasquez à numer. 25;) aut etiamsi Deus nouum mundum crearet, hoc destructo, tamen Deum nequaquam de loco in locum motum iri: quidquid sit de extrinsecæ denominatione in priore casu; in quo etsi concedant nonnulli, Deum per accidens, & extrinsecæ denominatione motum iri, ita vt in DEO solum respectus quidam extrinsecus præsentia & distantia varietur; rectius tamen negat Vasquez à numer. 25. quia DEVS cum sit non solum vbiq; sed etiam extra mundum in seipso, à re, nulla distare potest. Præclare hac de re S. Bonauentura citat. quæst. 2. Cum res, inquit, priuatur (seu definit esse,) auferitur comparatio eius ad Deum: sed cum res mouetur, DEVM non dimittit, nec ad DEVM accedit: nec DEVS ad eam reuertitur; quia sic est in re, vt sit extra rem idem. Ideo nec reuertitur, nec nouum inuenit. Et hoc est intelligibile, si quis potest intelligere, quod DEVS sit immensus, simplex, & infinitus. Quia enim est immensus, ita est intra, quod extra: quia simplex, secundum vnum est idem, est intra & extra: quia infinitus, ideo nec dimittitur, nec acquiritur aliud in re: nec ab ipso itur ad ipsum, cum dimittitur, vt alibi & alibi inueniatur.

QVÆSTIO V.

De Immutabilitate, Æternitate, & Vnitate DEI.

S. Thomas 1. p. q. 9. 10. 11.



Ecce tria itidem attributa paucis expediri possunt; quæ proinde vna quaestione complectimur. Absoluetur verò hac quaestio tribus dubijs. I. An & qua ratione proprium Dei attributum sit esse immutabilem. II. In quo consistat attributum æternitatis; & qua ratione sit proprium Dei. III. An & qua ratione proprium Dei attributum sit, esse vnum.

DVBIVM I.

An & qua ratione proprium DEI attributum sit, esse immutabilem.

S. Thomas 1. p. q. 9. aa. 2.

DVplex mutabilitas in præsentia distingui potest; vna physica & realis, qua quid à parte rei, ac in se ipso aliter se habet nunc, quam antea; altera moralis, in quadam animi inconstantia, & propositi mutatione consistens; etiam omni physica & reali mutatione seclusa: de vtraque breuiter agendum.

Assertio

Assertio I. **D**EVS profus est expers & incapax omnis physica seu realis mutationis, adeoque hac ratione simpliciter & absolute immutabilis. Ita sanctus Thomas hic quæst. 9. artic. 1. & in 1. dist. 8. quæst. 3. artic. 1. & Opusc. 3. capit. 4. omnibus Theologis consentientibus: & est de Fide definitum in Concilio Lateranensi capit. *Eirmiter*, de Summa Trinitat. & fide Catholicæ. Probat apertis Scripturæ testimonijs Psalm. 101. v. 26. *Initio tu Domine terram fundasti; & opera manuum tuarum sunt caeli: ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut operorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Vbi **D**EVS quoad immutabilitatem opponitur cælo & terræ adeoque toti creaturæ. Malach. 3. vers. 6. *Ego enim Dominus, & non mutor: & vos filij Iacob non estis consumpti.* 1. Timoth. 6. vers. 16. *Qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem.* Iacob. 1. vers. 17. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudo obumbratio.* Quæ loca cum absolute negent, Deum mutari posse, intelligenda in primis sunt de mutatione omnireali & physica, seu substantiali, seu accidentali.

Secundo idem passim & aperte docent SS. Patres. Optime Augustinus lib. 1. de Trinitat. capit. 1. & lib. 5. cap. 2. vbi hoc ipsum probat ex illo Exodi 3. *Ego sum, qui sum. Quod mutatur, inquit, non servat ipsum Esse: & quod mutari potest, etiamsi non mutetur, potest, quod fuerat, non esse: ac per hoc illud solum, quod non tantum non mutatur, verum etiam mutari non potest, sine scrupulo occurrit, quod verissime dicitur Esse.*

Tertio idem probatur evidenter à sancto Thoma citat. quæst. 9. artic. 1. tribus rationibus. Prima, quidquid quocunque modo mutatur, est aliquo modo in potentia eo ipso quod aliter & aliter se potest habere: **D**EVS autem nullo modo est Ens in potentia; cum sit purus actus, ex dictis supra quæst. 1. dub. 5. Ergo nullo modo est mutabilis. Secunda. Quicquid mouetur, aut mutatur, habet aliquam compositionem; vel quia secundum aliquid manet, & secundum aliquid transit, vt inquit S. Thomas; quod saltem in motu magis proprie dicto verum habet; vel certe quia hoc ipso, quod mutatur, non potest esse Ens per essentiam: atqui in Deo nulla planè compositio habet locum ex quæst. 2. dub. 1. Ergo, &c. Tertia. Si Deus moueretur, vti que moueretur motu aliquo, seu mutatione perfectiua, non corruptiua, nimirum acquirendo aliquid, quod prius non habebat, seu extendendo se ad aliquid, ad quod antea non extendebatur: sed hoc est impossibile; cum Deus sit infinitus, comprehendens in se omnem plenitudinem perfectionis totius Esse, ex quæst. 7. dub. 1. Ergo, &c.

His addi potest hæc quarta ratio; quia nullum ens vndiquaque necessarium potest esse mutabile; id enim non potest aliter se habere vnquam; quod autem mutatur aliter & aliter se habet: Deus est ens vndiquaque necessarium, ex dictis quæst. 1. dub. 5. Ergo non potest ef-

se mutabilis. Præter has verò generales rationes specialis ratio immutabilitatis secundum locum sumitur ex Dei immensitate; vt dictum quæst. 4. dub. 4. immutabilitas secundum durationem, ex æternitate; immutabilitas secundum accidens, ex simplicitate. Quas ob causas etiam plerique veteres Philosophi, quasi ab ipsa veritate coacti affirmarunt, primum principium esse immutabile, vt notauit S. Thomas ibidem a. 1.

Quod verò contra hanc assertionem ex Incarnationis mysterio, quo **D**EVS homo factus est, cum antea non esset homo, obijci posset, pertinet ad 3. partem. Interim vno verbo dicitur, Deum, absque omni reali & intrinseca sui mutatione, hominem esse factum; quia terminatio humanæ naturæ nihil reale nouum ponit in ipso Verbo Incarnato, sed solum in humana Christi natura, vt ibidem declaratur.

Assertio II. **D**EVS itidem planè expers & incapax est omnis mutationis moralis; etiamsi hæc in Deo alioqui per se nullam inuolueret mutationem physicam. Est itidem communis, & certa apud sanctum Thomam ibidem, & extra controuersiam; & colligitur ex citata definitione Ecclesiæ, & allatis Scripturæ locis: quæ cum simpliciter & absolute loquantur, omnem veram mutationem in ipso **D**E O excludunt. Speciatim autem de hac etiam loquitur, illud Malach. 3. *Ego Dominus, & non mutor*, nimirum etiam quoad proposita & promissa, quibus posteritatem ac semen Iacob se perpetuo seruaturum promiserat; vt mox ibidem subsequentibus verbis significatur: *Et vos filij Iacob non estis consumpti.* Idem apertissime patet, ex illo Numer. 23. vers. 19. *Non est **D**EVS quasi homo, vt mentitur; nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo & non faciet: locutus est, & non implebit?* Item 1. Reg. 15. vers. 29. *Porro Triumphator in Israel non parceret, & penitentie non flectetur; neque enim homo est, vt agat penitentiam.* Et Proverb. 19. vers. 21. *Multe cogitationes in corde viri: voluntas autem Domini permanebit.*

De qua re optime sanctus Augustinus lib. 12. Confess. cap. 15. ait se ab ipsa veritate edoctum: *De vera æternitate Creatoris, quod nequaquam eius substantia per tempora varietur; nec eius voluntas extra eius substantiam sit: unde non eum modo velle hoc, modo velle illud; sed semel & simul, & semper velle omnia, quæ vult: non iterum, & iterum; neque nunc illa, nunc ista; nec velle postea, quod volebat; aut nolle quod prius volebat; quia talis voluntas mutabilis est; & omne mutabile æternum non est: **D**EVS autem noster æternus est.*

Idem probat evidens ratio; quia mutatio voluntatis ac propositi, relati ad omnes suas circumstantias, secundum quas aliquid volitum, & postea non volitum est, arguit planè aliquam imperfectionem cuiusdam mobilitatis animi & inconstantie, eo ipso, quod repudiatur & abijcitur, irritumque ac inefficax redditur prius voluntatis decretum: esto hæc mobilitas animi in hominibus, vitio, virtuti alicui opposito non datur; quâdo quis omisso min^o bono, postea vult melius, iuxta S. Thomam in 2. 2. q. 53. a. 5. & q. 138. a. 1.

at verò

at verò à Deo ab esse debet omnis imperfectio. Ergo, &c. Quæ ratio probat, eiusmodi mutationem à Deo necessariò abesse, etiamsi ea per se nullam inuolueret in Deo mutationem physicam, vt recte Suarez lib. 2. de Deo cap. 3. n. 4.

Quamquam absolutè loquendo, verius est, si ea mutatio ita in tempore accideret, futurum, vt simul etiam inuolueret mutationem physicam, & realem in Deo: quamuis enim Deus ab æterno sine ulla mutatione physica potuisset id non velle, aut oppositum velle, tamen postquam id semel voluit, ad oppositum transire non potest, nisi mutatione physica & reali in ipso Deo interueniente; saltem ob eam causam, quia tunc hoc ipso voluntas Dei non futura esset infinite perfecta, adeoque nec eam perfectionem habitura, qua sine omni mutatione sui intrinsecà, ab vno & eodem obiecto secundum omnes circumstantias spectato, possit terminari, & non terminari.

Quo sensu intelligo comunem Doctorum sententiam, qui docent, Deum realiter intrinsecè mutatum iri, si eiusmodi quædam varietas daretur in actibus diuinæ voluntatis: in quibus sunt Ferraricensis lib. 1. cont. gent. cap. 83. Bassolis in 1. d. 45. q. 2. a. 3. Lychetus q. vn. concl. 2. De qua re plura inferius de scientia & voluntate Dei libera, Quando verò subinde Deo tribuitur potentia, aut aliqua retractatio voluntatis, intelligendū id est improprie, & secundum effectum, iuxta S. Thomam infra q. 19. art. 7.

6 Assertio III. Potest tamen Deus aliter se habere, secundum denominationes extrinsecas, seu respectus rationis, absque vlla sui mutatione. Ita comunis Doctorum, cum S. Thoma. 1. p. q. 13. a. 7. & q. 7. de potent. a. 8. & in 1. d. 30. q. vn. a. 1. post Anselmum in Monolog. c. 24. & Augustinum li. 5. de Trinit. c. 16. licet olim hac de re dubitauerit, vt videre est li. 12. de ciuit. c. 15. Ratio est. Quia denominationes extrinsecæ, vti & respectus rationis, nec pro fundamento supponūt mutationē aliquā in ipso Deo, sed solum in creaturis; nec per se sunt, aut ponūt aliquid reale in Deo, vt patet: nihil ergo obstat eas de nouo Deo aduenire, & circa Deū variari; vt est denominatio siue relatio Creatoris, Domini; item relatio cogniti, presentis secundū indistantiam localem, & similes; idq; citra vllam Dei mutationem; quia vera mutatio non accidit, nisi per veram receptionem, aut amissionem formæ realis in ipsa re existentis. Vnde etiam colligitur, eiusmodi relationes Dei ad creaturas, solum esse rationis, non reales, vt docet S. Thomas loco cit. & 1. p. q. 13. a. 7. Alensis 1. p. q. 4. m. 1. Richardus d. 30. q. 4. ad 6. & communis Theologorum ac Philosophorum, vt suo loco pluribus dicitur.

7 Assertio IV. Immutabilitas hoc modo explicata, ita proprie solius Dei est, vt per nullam potentiam vlli creaturæ possit esse comunis. Ita S. Thomas hic 1. p. quæst. 9. a. 2. & in 1. d. 8. q. 3. a. 2. cum Magistro ead. d. 8. ex communi omnium Doctorum consensu. Et colligitur ex citatis Scripturæ testimonijs: idemque passim docent SS. Patres. Optimè Augustinus lib. 2. de moribus Manich. c. 1. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in Ioan. cap. 23. & lib. de recta fid. ad Theodosium, Gregorius

Nyssenus lib. de hominis opificio capit. 16. Gregorius Magnus lib. 12. Moral. capit. 17. in illud Iob 15. *Eccè inter sanctos eius nemo immutabilis.* Anselmus in prologo capit. 22. & in Monologio cap. 28.

Idipsum ratione optimè etiam probat & declarat S. Thomas cit. q. 9. a. 2. Primo enim omnia sunt mutabilia extrinsecè ab ipso Deo, etiam quoad substantiam suam; quia secundum suum esse, & cōseruari perpetuò ac necessariò pendēt à Deo, iuxta S. Augustinum lib. 4. in Genes. ad lit. cap. 12. adeo vt etiam implicet contradictionem, hac ratione non esse mutabilia; alias enim nec Deus esset Deus; nec ipsæ essent creaturæ: quibus nimirum intrinsecum est dependere in suo Esse à primo Ente. Deinde omnia etiam aliquo modo sunt mutabilia intrinsecè, aut secundum substantiā, vt sunt entia natura sua corruptibilia; aut secundum varia accidentia, præcipuè secundum locum; aut secundum operationem immanentem: priori modo mutabiles sunt cœli; vtroque modo Angeli, &c. Neque hanc intrinsecam mutabilitatem tollere, possunt dona gratiæ; etsi possint impedire actū secundū, vt pluribus declarat Alensis. 2. p. q. 13. n. 4.

Assertio V. Attributum Immutabilitatis formaliter est negatiuum; etsi pro fundamento habeat perfectionem Entis necessarij. Est communis iuxta S. Thomam 1. p. initio quæstionis terciæ; & patet ex dictis assert. 1.

DVBIVM II.

In quo consistat attributum æternitatis; & qua ratione sit proprium Dei.

S. Thomas 1. p. q. 10. a. 6.

Supponenda est hoc loco definitio æternitatis, ex Boetio lib. 3. de Consolat. profa. 2. à S. Thoma hic q. 10. a. 1. & in 1. d. 8. q. 2. a. 1. & d. 19. q. 2. a. 1. ac omnibus Scholasticis ibidem recepta: *Est interminabilis vita et tota simul ac perfecta possessio;* quasi dixerit: Est constans & immutabilis, seu independens ac successione expers permanens siue duratio vitæ, nullo principio aut fine terminabilis, vt declarat S. Thomas hic q. 10. a. 1. In qua definitione, in obliquo ponitur *Vita* (nimirum actualis & substantialis) tanquam proprium subiectum huius quasi passionis; perinde ac si describeretur simitas, curuitas nasi; neque enim æternitas hæc vilius alterius rei esse duratio potest, quam viuents, & quidem perfectissimi, vt dicitur. Hoc posito, quæ ad hoc attributum pertinent, in quibus non pauca sunt inter Scholasticos controuersa, sequentibus assertionibus explicamus.

Assertio I. Deus verè proprie ac simpliciter est æternus. Ita S. Thomas hic q. 10. art. 2. & in 2. d. 2. q. 1. a. 1. & lib. 1. cont. gent. cap. 15. & de potent. q. 3. a. 17. & opusc. 3. à cap. 5. & consentiunt omnes Doctores; & est de fide ex Concilio Lateranensi cap. *Heremiter*, de Summa Trinit. & fide Catholic. & ex Symbolo Athanasij. Probatur.

aperte

apertè ex Scriptura. Proverb. 8. v. 23. *Ab æterno ordinata sum.* Ecclesiast. 18. v. 1. *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Iai. 40. v. 28. *Deus sempiternus Dominus.* Et cap. 57. v. 15. *Excelsus & sublimis, habitans æternitatem.* Micheæ 5. v. 2. *Egressus eius ab initio, ab itineribus æternitatis eius.* Rom. 16. v. 26. *Secundum præceptum æterni Dei.*

Huc spectant illa, quæ significant excessum durationis Dei, respectu omnium rerum creaturarum, vt Psalm. 89. v. 2. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, à seculo & usq; in seculum tu es Deus.* Psalm. 101. v. 28. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficiunt.* Item Exodi 15. v. 18. *Dominus regnabit in æternum, & ultra;* quod quasi per aures indicitur, vt significetur etiam nisi quæ duratio ultra æternitatem esset, adhuc in ea futurum Deum; aut eertè æternitatem Dei superare omnem durationem creatam, quæ æterna nuncupari possit; eo quod sit tota simul, & per se talis, non per participationem, vt intelligit S. Thomas hic quæst. 10. art. 2. ad 2.

Eandem assertionem passim tradunt SS. Patres. S. Dionysius cap. 10. de diuin. nom. inter alia ait: *Sæculi, (hoc est, æternitatis) proprietas est antiquum & immutabile, & totum impartibiliter, secundum quod eorum esse metiens.* Augustinus quæst. 39. in Genes. & quæst. 43. in Exod. & in Psalm. 101. conc. 2. vbi ait: *Æternitas Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile. Ibi nihil est præteritum, quasi iam non sit; nihil est futurum, quasi nondum sit: sed non est ibi nisi Es.* Et S. Gregorius lib. 16. Moralium, cap. 21. ait: *Æternitatem (Dei) nec initio incipi, nec fine terminari, sed esse ænum, quod semper Esse est.* Similia habent Anselmus in Monologio cap. 17. Richardus de S. Victore lib. 2. de Trinit. cap. 2. & Boetius lib. 5. de consolat. profa vlt. vbi addit: *Deum esse æternum, cum totorum ratione de genitum, commune esse iudicium.* Sanè id expressè tradit Aristoteles lib. 8. phys. & lib. 12. metaph.

Idem euidenter probat S. Thomas hic quæst. 10. art. 2. & lib. 1. cont. gent. cap. 15. ex ipsa immutabilitate Dei, velut radice proxima ac fundamento quasi quodam æternitatis, vt rectè etiam notarunt Suarez lib. 2. de Deo cap. 4. num. 2. Vasquez disp. 31. num. 2. Id enim quod profus est immutabile, semper ac necessario est idem, absque vlla varietate & successione, nec potest non esse; ac proinde est propriè æternum. Deus autem est profus inmutabilis, ex dubio præcedenti. Ergo Deus est propriè æternus, hoc est, absque initio & fine, ac sine omni varietate & successione durationis. Idem probari etiam potest ex eo, quod Deus est Ens necessarium, & ex se, ac per essentiam. Tale enim Ens initium sui Esse habere non potuit; nec habere finem potest: cum sit ens vadiquaque necessarium, vt dictum supra q. 1. dub. 5.

Assertio II. *Æternitas est vera duratio realis & intrinseca ipsius Dei.* Ita S. Thomas hic quæst. 10. art. 2. cum Caietano, & omnibus Commentatoribus, Alensis in 1. p. quæst. 12. m. 5. Albertus in 1. d. 8. art. 8. Henricus in summa art. 31. quæst. 1. 2. & 3. Richardus in 1. d. 19. art. 2. quæst. 1. Durandus quæst. 2. Scotus quodlib. quæst. 6. art. 1. Capreolus in 1. d. 9. q. vn. art. 2. Gregorius de Valentia hic quæst.

10. p. 1. Molina quæst. 10. art. 1. disput. 2. Vasquez d. 33. num. 20. adeoque communis Theologorum, contra Aureolum in 1. d. 9. quæst. 2. art. 2. qui ratus, de ratione durationis esse successione, negavit, in Deo formaliter & intrinsecè esse durationem aliquam; etsi concederet, in eo intrinsecè æternitatem, tanquam vim quandam, qua Deus attingit omne tempus, seu omnem durationem imaginabilem; quin etiam fateretur, Deum realiter durare denominatione durantis (sicut & creatis, & conservantis) desumpta ab aliquo extrinsecò.

Probatur assertio. Quia permanentia existentia, seu quod idem est, ipsa existentia permanens cuiusque rei est vera & intrinseca duratio ipsius rei, adeoque non magis esse potest extrinsecare rei, quam ipsa existentia: *Æternitas formaliter prout à cæteris omnibus attributis ratione distinguitur, est permanentia existentia ipsius Dei; hæc enim ratio nulli alteri attributo diuino conuenit; & tamen Deo denegari minimè potest: Ergo æternitas est vera & intrinseca duratio Dei, siue ipsius Esse diuini.* Fundamentum autem Aureoli in Philosophia velut absurdum ex communi refellitur.

Assertio III. *Æternitas, siue intrinseca Dei duratio, per se ac formaliter non includit respectum coexistentia ad tempus, etsi verè coexistat, tempori, cæterisque rebus creatis.* Prima pars est communis apud Gregorium de Valentia, Molinam, & Vasquez locis citatis, & colligitur ex S. Thoma, aliisque citatis, contra Gabrielem in 2. dist. 29. aliisque Nominales; qui docent, Deum formaliter æternum esse, quia coexistit infinito tempori actu vel potentia; quasi formalis conceptus æternitatis inuoluat respectum ad tempus: qui simul etiam supponunt, attributa in Deo inter se & ab essentia formaliter non distingui, nisi per connotationem alicuius extrinseci, quod supra quæst. 1. ex communi refutauimus.

Probatur eadem prima pars ex præmissa, & ab omnibus admitta definitione æternitatis, in qua eiusmodi respectus siue coexistentia ad nostrum tempus nunquam exprimitur; ac per se notum est, durationem existentia diuina principio & fine carentem, in quo ratio formalis æternitatis consistit, non inuoluere respectum coexistentia ad vllum tempus, seu verum seu imaginabile. Vnde etiam si per impossibile nec tempus vllum fuisset, nec futurum esset, adhuc Deus esset æternus.

Dices 1. *Ipsa permanentia existentia connotat & supponit existentiam in aliquo tempore, aut saltem duratione priori: Ergo intrinsecè inuoluit coexistentia respectum ad tempus, aut certè durationem aliquam priorem.* Respondeo negando assumptum; loquendo de conceptu & ratione permanentia, in qua consistit æternitas; hæc enim non est posituè explicanda, sed solum negatiuè, per negationem inceptionis, quasi videlicet existentia Dei coeperit: qua ratione nullus inuoluit respectus ad præcedens tempus, vel durationem.

Dices 2. *Sicut immensitas se habet ad locum, ita æternitas ad tempus, seu durationem creatam: sed immensitas Dei, iuxta nostrum concipiendū*

modum, necessariò inuoluit respectum factem potentialem ad locum, seu res creatas: Ergo etiam æternitas ad tempus, seu durationem creatam. Respondeo concedi posse totum: nec enim id negat conclusio; sed solum includere respectum coexistentiæ ad tempus verum, aut imaginariū; siquidem etiam immensitas non includit respectum coexistentiæ ad locum, aut res creatas: sed solum dicit vim in actu primo replendi omnia loca, vt dictum q. 4. dub. 3.

5 Secundam partem tradunt Altissiodorensis lib. 1. cap. 15. quæst. vlt. Alensis 1. p. quæst. 12. m. 6. 9. & 10. Henricus quodlib. 5. quæst. 13. Egidius in 1. d. 8. p. 2. quæst. 2. art. 4. Scotus quodlib. quæst. 6. art. 1. & in 1. d. 9. quæst. vnic. Durandus in 1. d. 3. 8. quæst. 3. Richardus quodlib. 3. art. 1. quæst. 1. Caietanus, alijque Thomistæ 1. p. quæst. 10. & recentiores loc. cit. ex communi; contra Aureolum in 1. d. 9. quæst. 2. art. 2. & d. 3. 6. quæst. vnic. art. 1. vbi dicit; non esse absolutè dicendum, Deum coexistere tempori, aut alicui rei creatæ: quod significat etiam Anselmus prolog. cap. 19. Probatur ea pars assertionis ex Scriptura Proverb. 8. vers. 27. vbi de æterna & increata Dei Sapientia dicitur: *quando preparabat caelos, & aedificabat fundamenta terræ; quando circumdabat abyssos, & circumdabat fontes aquarum, quando appendebat fundamenta terræ, cum eo erant cunctæ componentis.* Ratio est; Quia vt aliquid verè dicatur coexistere alteri, non est accessio, vt duratione se inuicem exæquent, aut vt illud mensuretur ab altero: aut sub eo contineatur; sed satis est, vt simul existant, ita vt quando vnum est, etiam sit alterum; sed Deus est propriè non sit in tempore, quia non mensuratur, nec continetur tempore, quod omnes fatentur; simul tamen cum tempore, alijque rebus creatis existit; quamuis interim infinitè excedat durationem seu existentiã cuiuslibet rei creatæ: Ergo verè coexistit tempori, alijque rebus creatis; etiam si horum coexistentia cum Deo non sit adæquata, sed inadæquata.

6 Eodem modo loquuntur SS. Patres, speciatim Augustinus tractat. 99. in Ioann. Nec contrarium sentit Anselmus loc. cit. satis enim ibidem & cap. 22. se explicat ad eum modum, quem habet Richardus Victorinus lib. 2. de Trinitate, cap. 23. vbi ait: *Sicut in omni loco est presentia, in nullo localiter; sic in omni tempore est æternitas, in nullo temporaliter: sicut enim per loca non distenditur, qui summè simplex & incompressus est; sic nec per tempora variatur, qui æternus & incommutabilis est.*

Assertio I V. Æternitas differt ratione ratiocinata non solum ab immutabilitate, sed etiam ab existentia, seu vita diuina, cuius est duratio. Ita communis; & sumitur ex Boetio, & S. Thoma, alijque citatis, qui non solum æternitatem pro attributo ab immutabilitate distincto habent; sed etiam æternitatem constituunt quasi proprietatem, seu modum ac mensuram existentia, vt dicemus, ipsamque æternitatem definiunt per vitam Dei in obliquo; quod rectè non fieret, si solum ratione ratiocinante distingueretur à vita, seu existentia diuina.

Ratio primæ partis est; quia æternitas formaliter

significat durationem realem & immutabiliter ac necessariò permanentem, omniq; successione, principio & fine carentem; non ita immutabilitas. Ratio secundæ partis est: Quia in diuinis, quæ respondent perfectionibus creatis distinctis prædicamento, distinguuntur ratione, cum fundamento in re; adeoque ratione ratiocinata, vt dictum etiam q. 2. dub. 3. At verò existentia substantiæ creatæ pertinet; aut reuocatur ad prædicamentum substantiæ; Duratio verò ad prædicamentum Quantitatis, aut Quando, &c. Omitto eos, qui dixerunt, æternitatem esse modum ex natura rei distinctum ab essentia diuina; quod docet Mayron in 1. d. 8. q. 5. & probabile censet Scotus quodlib. q. 6. quod refutauimus vniuersim cit. q. 2. dub. 2.

An verò æternitas distinguatur etiam virtualiter ab ipsa existentia, seu vita diuina; an verò solum per negationem terminabilitatis, & successione; aut etiam connotationem alicuius extrinseci v. g. temporis, &c. ex eo pendet, an in rebus creatis duratio à parte rei differat ab existentia, siue tempus à motu, cuius est duratio. Si enim hæc differunt, cum quia diuina existentia & æternitas respondent rebus, quæ in creaturis sunt à parte rei distinctæ, etiam ipsa virtualiter distinguuntur; sin autem, quod docent Nominales; Ockam in 2. quæst. 10. & 12. & Gregorius in 2. d. 2. quæst. 1. art. 1. Gabriel quæst. 1. a. 1. & communior habet Philosophorum & Theologorum sententia: duratio rei creatæ solum ratione differt ab existentia; ita vt aliud non sit, quam existentia ipsa cum negatione definitiois; vel simul etiam cum suppositione præteritæ inceptionis, tunc æternitas nihil addet existentia, seu vitæ actuali Dei; nisi negationem terminabilitatis & successione, & vt quidam dicunt, etiam aliquam connotationem ad aliquid extrinsecum; ac proinde non distinguetur propriè virtualiter ab existentia diuina; cum non respondeat perfectionibus creatis re ipsa distinctis: quæ etiam communior est Doctorum sententia, vt dictum.

Assertio V. Æternitas habet quidem aliquo modo mensuræ rationem (improptèr) tum respectu omnis durationis creatæ, tum etiam respectu ipsius existentia & durationis, seu vitæ diuinæ; tamen ratio eius intrinseca non consistit in ea ratione mensuræ. Prior pars vtraque est communis Doctorum, post S. Dionysium cit. cap. 10. de diuina nom. vbi æuo seu æternitati tribuit totum secundum totum esse metiri. Eam speciatim de mensura omnis creatæ durationis tradunt S. Thomas in 1. d. 19. q. 2. a. 1. & 2. Albertus in 1. d. 8. a. 8. 9. 10. Alensis 1. p. q. 12. m. 9. a. 3. & 4. Capreolus d. 9. q. vn. a. 2. Ferrariensis lib. 1. cont. gent. cap. 66.

De mensura verò ipsius durationis seu vitæ diuinæ tradunt id S. Thomas hic q. 10. a. 4. & in 1. d. 8. quæst. 2. a. 1. Albertus, Alensis loc. cit. Ferrariensis loc. cit. cap. 15. Egidius dist. 8. p. 2. quæst. 2. Henricus in sum. art. 3. 1. quæst. 2. Richardus in 1. d. 19. art. 2. q. 1. Carthusianus in 1. d. 8. q. 3. Caietanus hic q. 10. art. 5. Gregorius de Valentia q. 10. p. 1. Molina q. 10. a. 1. disp. 3. Suarez metaph. d. 50. à num. 9. & seq. osti quoad vtrumque membrum contrarium asserant Durandus in d. 19. q. 2. Ockam in 2. q. 13. Gabrielia 2. d. 2. quæst. 1. a. 3. qui non agnoscunt in

æternitate rationem mensuræ, quos sequitur Vasquez disput. 31. cap. 5. ubi docet æternitatis conceptum compleri quidem per aliquid rationis; at non mensuræ; sed negationis mensuræ: cum tamen certè negatio entis rationis, propriè non sit aliquid rationis, ut rectè Suarez cit. num. 9.

Probatür ea pars assertionis, quod primum membrum. Quia iuxta Aristotelem lib. 10. metaph. cap. 2. primum in vnoquoque genere, est mensura cæterorum: æternitas verò in genere durationis est prima, ut patet. Deinde æternitas est duratio maxime vniformis, simplex, æquipollens durationi cuiuslibet creatæ, illi quæ homogœna, saltem secundum rationem communem analogicam (quod sufficit,) est item reipsa distincta à duratione qualibet creatæ, sua natura etiam notior illa, & comparabilis cum duratione creatæ; ita ut quo quæque magis ad illam accedit, adeoque à principio aut fine recedit, magisque simplex & stabilis est, eo etiam sit perfectior, longior, &c. Ergo nulla conditio ad mensuram requisita ab Aristotele lib. 10. metaph. cap. 2. & 3. deest æternitati, comparatæ cum durationibus creatis.

Nec obstat, quod æternitas non sit minima in genere durationis; quod tamen requirit Aristoteles ibidem. Id enim solum verum habet de mensura, quæ per repetitionem planè adæquare debet mensuratum; cum interim ipsemet Aristoteles 4. Physic. cap. 12. text. 116. tempore mensurari doceat breuissimum etiam quemque motum, adeoque ea, quæ a tempore exceduntur. Fatendum tamen, æternitatem nobis quidem in actu secundo non solere esse mensuram & regulam cognoscendæ durationis rerum inferiorum; quia actu & reipsa nobis non est notior; quod ad actuale mensuram requiritur.

Probatür eadem pars assertionis quod alterum membrum. Quia concipiendo rationem æternitatis, eamque applicando ipsi Deo, quatenus existit, seu quod idem est, existentie ac vitæ ipsius, aut etiam durationis in confuso acceptæ; cognoscimus, quanta sit duratio, siue existentia Dei. Ergo secundum rationem nostram rectè dici potest æternitas, mensura quasi quadam intrinseca, siue Dei, nimirum vt existentis, siue vitæ ac existentie ipsius: promiscuè enim ac sensu eodem ita loquuntur Doctores. Et confirmatur id ipsum ex Aristotele lib. 10. metaph. cap. 2. vbi ait, mensuram esse, qua cognoscitur quantum, latè nimirum acceptum, etiam pro virtualiter extenso, &c.

Et hoc est, quod dixit S. Thomas hic q. 10. a. 2. ad 3. accipi in æternitate rationem mensuræ, secundum apprehensionem nostram tantum. Quia tamen æternitas ipsa infinita est, non propriè habet rationem mensuræ; sed solum impropriè, vt expressè docet Capreolus loco cit. idque multo verius est respectu ipsius existentie, siue durationis diuinæ; tum quia ab ea, nullo modo à parte rei distinguitur: tum quia ea ipsa etiam infinita est; mensurari autem cum idem sit, quod mensurà definiri & determinari, propriè non potest, nisi quod finitum est, iuxta S. Thomam in 1. d. 19. quæst. 1. art. 1. ad 4. quod rectè etiam notauit Gregorius de Valentia loco cit. idque ipsum in assertionem indicauimus; addendo nomen impropriè.

Posterior pars assertionis est contra Ferrariensem lib. 1. cont. gent. cap. 15. Gregorium de Valentia hic q. 10. p. 1. qui docent, ad rationem formalem æternitatis pertinere aliquid reale, videlicet durationem sine principio, & sine; & aliquid rationis, nempe mensuram diuinæ substantiæ, seu durationis ad eum modum, quo tempus dicitur numerus motus. Cui sententiæ non parum etiam fauent S. Thomas eodem art. 1. & a. 2. ad 3. & a. 4. in corp. & ad 1. & 3. & in 1. d. 19. q. 2. a. 1. item Albertus in 1. d. 9. a. 8. Henricus in summa artic. 31. quæst. 2. & ex parte Caietanus hic quæst. 10. art. 1. Huc spectant etiam alij recentiores quidam Thomistæ, qui rationem mensuræ saltem in obliquo connotari docent conceptu æternitatis.

Nostræ verò assertionis partem præter Durandum, Ockanum, Gabrielem & Vasquez, qui absolute negat, æternitatem habere rationem mensuræ, tradunt Molina hic q. 10. a. 1. disp. 3. Suarez metaph. disp. 50. à num. 9. Gillius lib. 2. tract. 10. cap. 9. num. 4. & communiter recentiores; nec dissentit Caietanus loco cit. si bene expendatur. Probatür. Quia nec in definitione æternitatis exprimitur ratio mensuræ; nec sub eo nomine, iuxta communem modum concipiendi, formari solet conceptus mensuræ; nec duratio, vt sic in genere includit rationem mensuræ, quod opposita sententiæ supponit. Accedit, quod æternitas propriè non habet rationem mensuræ respectu substantiæ seu existentie, & durationis diuinæ, vt dictum: denique Deus propriè & formaliter esset æternus, quamuis eam rationem mensuræ, quæ non nisi per intellectum illi aduenit, vt dictum, nemo conciperet, aut concipere posset.

Nec obstat, quod de ratione temporis est mensura; nam & hoc ipsum probabiliter multi negant: deinde est diuersa ratio temporis, quia iuxta vsum loquendi Aristotelis, & Philosophorum, tempus, vt est mensura motus, non dicitur ipsa, per se sola duratio intrinseca cuiusque motus; sed solum duratio primi mobilis; æternitas autem, vt ex definitione, & modo communi concipiendi patet, dicit ipsam intrinsecam durationem ipsius vitæ, seu existentie diuinæ, sine relatione mensuræ.

Assertio V I. Ratio æternitatis tota est realis; pro materiali significans vitam seu existentiam Dei; formaliter autem durationem, cum negatione successione, & termini etiam potentialis; qua negatione vltimatè completur. Ita sentiunt Caietanus hic quæst. 10. artic. 1. Molina, Suarez loco citat Gillius cit. tractat. 10. cap. 10. & colligitur ex citata definitione Æternitatis ab omnibus admittit, quam re ipsa etiam tradit & quasi explicat Anselmus in Monolog. cap. 24. vbi ait: *Cum diuina substantia non sit aliud, nisi vita sua; nec æternitas sua, sit aliquo modo terminabilis, nec nisi simul & perfecte tota, quid aliud est vera æternitas, qua soli illi conuenit, quam interminabilis vita, simul & perfecte tota existens?* Idem tradunt S. Augustinus, & S. Gregorius initio citati.

Probatür & declaratur. Primo enim æternitas reipsa non distinguitur villo modo ab ipsa substantia, & vita seu existentia Dei; cuius etiam veluti subiecti passio quasi quædam, vel modus est.

Secundo formaliter esse durationem ipsius vitæ diuinæ, patet ex assert. 2. Tertio includere negationem successione, patet ex illa particula definitionis. *Tota simul*; quæ ratione etiam differt essentialiter à tempore. Quarto includere negationem termini, non solum actualis, sed etiam potentialis, patet ex vobula *Interminabilis*. Denique hac ratione vltimatè compleri rationem æternitatis, ex eo probatur, quia per negationem successione, contrahitur duratio solum ad rationem quandam communem æternitatis; & alijs quibusdam durationibus creatis, vt sunt ætium, & instans temporis discreti, &c. Per negationem autem termini actualis, solum excluditur duratio quælibet actualis finita; non autem duratio creata infinita, qualis, & si quæ creaturæ potest communicari; nam infinitam à parte potest esse ætium Angelicum, omnes concedunt; à parte etiam antè infinitam durationem creaturæ communicari posse, multi existimant; de quo alibi.

Per solum verò negationem termini, etiam potentialis, ex vtraque parte, distinguitur æternitas ab omni alia duratione; qualis nulla esse potest nisi in creata; omnis autem creata duratio est intrinsecè terminabilis, saltem per respectum ad potentiam Dei: qui & quolibet momento quamlibet rem creatam potest annihilare, & si quam creaturam etiam produxisset ab æterno, potuisset tamen non producere; quo ipso iam finita & limitata fuisset duratio ipsius creaturæ. E contrario verò duratio Dei non potest vlllo termino, seu principij, seu finis vlla potentia definiri, aut claudi, ac proinde simpliciter & absolute est interminabilis; Cum ergo hac negatione æternitatis seu duratio diuina vltimatè distinguatur ab omni duratione creata, sequitur, rationem æternitatis ea ipsa negatione vltimatè compleri.

Et confirmatur assertio. Quia ratio æternitatis nec includit intrinsecè respectum rationis ad tempus, vt dictum assert. 3. nec rationem siue relationem mensuræ, vt dictum assert. 5. Ergo rota est realis, sic tamen, vt eius ratio supradictis negationibus modo explicato compleatur.

12 Assertio VII. Æternitas Dei extendit se ad omnia, quæ intra Deum sunt. Est extra controuersiam, & patet tum ex simplicitate Dei; tum quia de ratione rei simpliciter æterna est, vt nulla sit in ea variatio & successio: ea proinde etiam ad operationes Dei immanentes libera pertinet; prout secundum suam entitatem spectantur, vt bene declarat Suarez 1. p. lib. 2. de Deo cap. 4. num. 5. & infra suo loco pluribus dicitur.

Assertio VIII. Æternitas perfecta, modo explicata, est attributum Dei ita proprium, vt per nullam potentiam vlli creaturæ possit communicari. Ita S. Thomas hic q. 10. a. 3. & est de fide 1. Tim. 6. v. 16. *Qui solus habet immortalitatem*, hoc est immutabilitatem: ex qua adæquatè sequitur æternitas, vt dictum, & rectè S. Thomas ibidem. Rationes aliæ constant ex dictis: solius enim Dei duratio est planè interminabilis: solius etiam Dei duratio est planè independens; quod significari in definitione æternitatis per vocabulum *perfecta* notarunt Henricus in summa art. 3. q. 1. Scorus quod lib. q. 6. Lycherus ibidem, & alij: et si alij aliter explicant.

13 Assertio IX. Secundum analogiam tamen quan-

dam, & impropiè, ac per participationem, etiam re-creata quædam rectè dicuntur æternæ. Ita S. Thomas hic q. 10. cit. a. 3. ex communi omnium. Probatur & declaratur ex S. Thoma ibidem. Quia æternitas fundatur in immutabilitate: quæ proinde, prout magis vel minus participatur à creaturis, ita etiam ipsæ magis, vel minus accedunt ad rationem æternitatis; iuxta ipsius etiam Scripturæ consuetam phrasin. Primo enim quædam ideo solum in Scriptura dicuntur æterna, quia licet secundum ipsam etiam substantiam obnoxia sint mutabilitati, vt pote entia corruptibilia, ac forte etiam aliquando finem habitura, actu tamen ac re ipsa, vel semper, vel certè longissimo tempore durant, aut durarunt, sicut inquit S. Thomas in *psalms* (Psalm. 75. v. 4.) *dicuntur montes æterni*; & Deut. 33. v. 15. in benedictione Ioseph fit mentio de *montibus æternorum*; & eodem modo intelligitur illud Ecclesiast. 1. v. 4. *Terra in æternum stat*; & illud Matthæi 25. v. 41. *Discedite à me maledicti in ignem æternum*. Et Psalm. 76. v. 6. dicitur: *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui*. Et Rom. vlt. v. 25. *mysterium conuersionis gentium*, dicitur *tacitum temporibus æternis*. Eodemque sensu passim in Scriptura vocantur præcepta vta mandata Dei æterna, foedus sempiternum, pactum Sacerdotij sempiternum, vt videre est Num. 25. Genes. 9. & 17.

Secundo quædam dicuntur æterna, eo quod secundum substantiam suam natura sua non sunt obnoxia corruptioni, ac re ipsa carent fine durationis, vt cælum, & Angeli, ad quos etiam refert S. Thomas illud Psalm. 75. v. 5. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis*. Quod ab alijs ad Patriarchas & Prophetas refertur.

Tertio, perfectiori participatione quædam dicuntur æterna, præter durationis perpetuitatem, quod etiam secundum vnum saltem operationis modum & genus, expertia sunt mutationis, & mutabilitatis, vt sunt Angeli, & anima, seu homines beati: quia quantum ad illam visionem Verbi, non sunt in *sanctis volubiles cogitationes*, vt dicit S. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 16. Quæ de causa etiam videntes Deum, dicuntur habere vitam æternam, secundum illud Ioan. 17. v. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum, &c.*

Denique huc spectat, quod essentialiter dicuntur æternæ, siue prout obiectiue sunt in mente diuina, vt explicat S. Thomas eod. a. 3. ad 3. siue quia sunt æternæ veritatis, quoad conuenientiam prædicatorum essentialium ac necessariorum, quæ abstrahunt ab existentia, vt exprimit Vasquez eod. art. 3. ex communi. Plura de hac re habent S. Dionysius cap. 10. de diuin. nom. Damascenus lib. 2. fid. cap. 1. Richardus Victorinus lib. 2. de Trinit. cap. 4. Alensis 1. part. q. 12. m. 1. a. 1. & 2.

15 Assertio X. Nulla tamen res creata de facto est æterna, ea participatione æternitatis, quæ principium simul & finem durationis excludat: ac licet aliquo sensu dici possit, res omnes esse præsentis realiter Deo in æternitate; non tamen simul, aut semper, aut ab æterno. Prior pars est extra controuersiam, & de fide: & patet ex illo Genes. 1. v. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*. Vnde constat, mundum non fuisse ab æterno, sed in tempore ince-

16 pisse, vt omnes Christiani contra Aristotelem consentiunt; de quo alibi plura.

Secundam partem tradit S. Thomas lib. 1. cont. gent. cap. 66. & 1. p. q. 14. a. 1. 3. & in 2. d. 7. q. 2. a. 2. & omnes Thomistæ, nominatim Ferrariensis eod. cap. 66. & 67. Capreolus in 1. d. 36. q. vn. a. 2. Caietanus 1. p. q. 14. a. 1. 3. item Richardus quodlib. 3. a. 1. q. 1. a. 2. & 3. & in 1. d. 38. q. 5. Marfilus in 1. q. 40. a. 2. Corduba q. 5. dub. 8. Molina hic q. 14. a. 1. 3. d. 1. 3. & recentiores communiter; eodemque modo expressè loquitur Anselmus in Monolog. cap. 2. 2. & in profol. c. 20. et si Deo omnia præsentia esse in æternitate negent Aletis 1. part. q. 23. m. 4. a. 3. Bonaventura in 1. d. 35. in com. dub. 6. & d. 39. a. 2. q. 3. & d. 41. a. 2. q. 1. Scotus cum suis in 1. d. 39. q. 1. Durandus d. 38. q. 3. Aureolus d. 36. q. 1. a. 1. & d. 38. q. vn. a. 1. Ariminensis d. 38. q. 1. a. 2. Gabriel q. vn. a. 2. & fauet S. Augustinus lib. 1. 2. de ciuit. c. 25. vbi ait: *Antequam fierent (creaturæ) non fuerunt; sed ante dico, æternitate, non tempore.* Sed in re non est dissensio, vt inferius dicitur.

Probatur ea pars assertionis. Quia verbum *Est* aut *existit*; non semper dicit respectum ad tempus præsens, seu intrans præsentis temporis, quo aliquid affirmatur *Esse* vel *existere*, sed quando coniungitur cum aliqua duratione completente non solum tempus præsens, sed etiam præteritum, aut futurum, significat aliquando existentiam pro aliquo tempore præterito, aut futuro, comprehenso intra eam durationem, cui coniungitur, præcipue si hæc duratio adhuc perseveret. Ita enim dicimus, Hoc anno dies Paschæ v. g. est 19. Aprilis; dies S. Matthiæ est ante Quadragesimam; sunt sex Eclipses; idque sæpe etiam dicitur toto Anno decursu, etiam si dies S. Matthiæ, Paschatis, aut vna altera v. Eclipsiam præterierint; solum enim volumus dicere, ipsum Annum totum secundum diuersas sui partes complecti sex Eclipses, item diem Paschatis incidere in diem 19. Aprilis, & c.

Simili ergo etiam modo, & ratione maiori, quia æternitas semper eadem, & tota simul inuariabiliter existit, relique omnes, & omnia tempora complectitur, non solum præsentia, sed etiam præterita, & futura; verè dici aliquo sensu potest, in æternitate verè & realiter existere omnia, quæ sunt, præsentia, præterita, & futura; ita vt dici possit, Romulus coexistit æternitati, Antichristus coexistit æternitati, & c. non quidem cum respectu ad tempus præsens, quo dicimus eos coexistere æternitati; sed cum respectu ad illud tempus, seu pro illo tempore, quo existunt, seu quo habent, aut habuerunt, vel habituri sunt existentiam. Et hoc est, quod Caietanus, Ferrariensis, & Molina fatentur, propositiones eiusmodi esse falsas, si vti communiter fieri solet, verbum significet tempus; veras autem, si significet *Nunc æternitatis.*

17 Vnde colligitur tertia pars, quam non solum tradunt auctores citati contra præcedentem partem, sed etiam recentiores plerique, adeoque communis Doctorum sententia. Et probatur. Quia qui dicit, res creatas semper, aut simul, aut ab æterno realiter esse præsentis Deo, significat res easdem omni tempore, ac simultanea duratione & existentia, atque ante initium temporis, coexistere Deo, seu realiter esse præsentis Deo; quæ tamen omnia falsa sunt; vt rectè Gregorius de Valentia q. 14. p. 5. Vasquez disp. 64. cap. 5.

Suarez cit. opusc. 2. lib. 1. c. 7. Gillius lib. 2. tract. 10. c. 17. et si quidam, præcipue Thomistæ recentiores, pro se citantes S. Thomam locis citatis, aliter loquantur, in quibus Abulensis in cap. 11. Iosue q. 21. Capreolus cit. d. 36. q. vn. art. 2. Molina q. 14. d. 1. 3. dicunt res creatas simul esse præsentis, aut coexistere Deo. Idem verò Abulensis loc. cit. Richardus cit. quodlib. 3. a. 1. q. 1. art. 3. Ferrariensis cit. cap. 66. Caietanus cit. q. 14. a. 1. 3. dicunt, eas semper esse præsentis Deo; denique res esse præsentis Deo ab æterno, vel ex æternitate, concedunt etiam Richardus, Capreolus, Caietanus, Molina locis cit.

Contra quos etiam multi non secus disputant, tanquam si de re ipsa esset controuersia. Sed vt rectè aduertit Vasquez c. 2. & perspicuum est legendi Caietanum hic, auctores isti in re aliud non volunt, quam creaturas omnes in quolibet *Nunc* aut instanti, non temporis, sed ipsius æternitatis, quæ tota simul est, tunc, quando sunt, esse præsentis & coexistere æternitati ipsius Dei; quod in re, iuxta modum antea explicatum, verissimum est.

Potius igitur improbandus loquendi modus, cum de re inter omnes constet quia de fide est, mundum, adeoque res istas ab æterno non fuisse creatas ac productas: nec verò aliud *Esse* reale ac proprium habere, quam creatum & productum; nec aliunde, quam per creationem seu productionem, vt antea dictum. S. Thomas verò locis cit. aut solum loquitur de præsentia obiectiua, vt post Heræum in 1. d. 38. item Egidium, Syluestrum, Dezam (Thomistæ omnes) intelligunt Valentia & Vasquez cap. 5. aut loquitur iuxta sensum secundæ partis antea traditæ, vt post Capreolum, Ferrariensem, Caietanum, Catharinum, Hispaniensem existimat Gillius loc. cit. cap. 16. num. 6. An verò res aliqua creata poterit produci ab æterno, inferius dicitur disp. 6.

DVBIVM III.

An, et quæ ratione proprium Dei attributum sit, esse vnum.

S. Thom. 1. p. q. 11. aa. 4.

18 **N**Otandum primo, dupliciter aliquid vnum dici posse; primo absolutè ac præcisivè; quæ ratione dicitur passio (simplex) entis, & à S. Thomæ hic q. 11. a. 1. alijsque communiter in negatione diuisionis (sicut in pluribus talia, quæ ipse est) posita esse, censetur, non tamen simul negando, seu excludendo consortium siue coexistentiam aliorum similium, seu plurium entium eiusdem rationis; quomodo Socrates dicitur vnus homo; cum tamen interim vtiq; plures sint homines eiusdem rationis cum Socrate. Secundo dici potest aliquid vnum exclusivè, quatenus videlicet simul excludit consortium, siue coexistentiam aliorum similium, seu alterius entis eiusdem rationis, secundum quam dicitur vnum; quo modo res aliqua propriè vnica dicitur, vt sol est vnus in terris, non tamen vnus homo, vnus equus; quia licet quilibet homo, & quilibet equus sit vnus tantum, absolutè tamen sunt plures in terra homines, plures equi. Obseruat autem S. Thomas eadem quæst. 11. artic. 2. ad 4. iuxta nostrum concipiendi

modum, adeoque ratione primum esse, & concipi ens; deinde diuisum ab alio; tertio vnum (sive indiuisum in se, vel à se) quarto multitudinem.

2 Notandum secundo, tametsi quidem omne ens, etiam per aggregationem, aliquo modo vnum dici possit, secundum rationem indiuisiōis, seu negationem diuisiōis in plura talia, cum etiam cumulus quisque lapidum, aut aceruus granorum frumenti vnius sit cumulus, non plures tales; tamen ens id, quod solum per aggregationem vnum est, simpliciter esse plura entia, non quidem talia, quales est ipsum vnum per aggregationem; sed secundum aliam rationem entis, qualis in singulis aggregatum constituentibus reperitur; v.g. cumulus lapidum vnus est secundum rationem cumuli, sed secundum rationem lapidis, non est vnus, sed plures lapides.

Et hoc modo generatim de ente loquendo, prout est quiddam commune vni per se, vel per aggregationem, vnum, secundum certam rationem entis, non est simplex passio cuiuslibet entis, sed distincta, siue sub diuisiōe, vnum vel multa talia; ita vt quodlibet ens, quod est tale ens v.g. lapis, vel sit præcisè vnum tale, vel multa talia; vt rectè declarat Caietanus hic q. 11. a. 1. Quamquam S. Thomas eadem q. 11. a. 1. ad 2. & infra q. 3. d. art. 3. vbi de eadem diuisiōe entis passione loquitur, eam paulò aliter videatur intelligere, ita vt cum omne ens dicitur vnum vel multa, vnum idem significet, quod simplex; multa verò qualemunque compositionem denoret; quæ explicatio, probatur etiam Gregorio de Valentia hic q. 11. p. 1. & per se quidem omnino vera est; sed priorem non tollit: vti etiam vtramque probabilem censet Suarez tom. 1. metaph. disp. 4. sect. 4.

3 His positis, cum per se constet, Deum non esse ens per aggregationem, cum sit ens simplicissimum, ex dictis q. 2. dub. 1. solum est quæstio, de vno, prout est simplex passio omnis entis; quæ etiam vocatur vnitatis transcendens, & communiter recepta diuisiōe triplex constitui solet, apud Alensem 1. p. q. 13. memb. 3. Albertum 1. p. tract. 6. q. 24. & fere Caietanum opusc. de ente & essentia cap. 4. q. 6. nimirum generica, specifica, indiuisiōis, seu numerica; sub generica autem & specifica comprehenditur etiam vnitatis formalis; quæ in genericam & specificam diuiditur, apud Caietanum loco cit. & definitur, Rei communis in seipsa, siue in sua natura indiuisiō. Indiuisiōis autem, Indiuisiō rei singularis in seipsa. Vnum singulare verò iuxta S. Thomam quæst. 9. de potent. art. 7. & hic q. 11. art. 2. diuiditur in vnum, quod propriè est principium numeri, & vnum, quod non est principium numeri, sed conuertitur cum ente singulari. Vtriusque autem modo vnum vnitatis indiuisiōis, rursum aliud est vnum secundum naturam, seu vnitatis naturæ; aliud vnum secundum suppositum, seu vnitatis suppositi, iuxta S. Thomam in 3. p. q. 3. a. 6. ad 1. & in 3. dist. 1. q. 2. a. 3. In præsentem autem quæstio potissimum est de vnitatis indiuisiōis; idque non solum si ea sumatur absolute, & cum præcisione, sed etiam cum exclusione; ita vt quæstio sit non solum, an Deus sit vnus indiuisiōaliter, seu vnus numero, sed etiam an sit vnus numero.

4 Assertio I. Deus non est vnus vnitatis generica, aut specifica. Ita omnes fere Doctores; & patet ex dictis supra quæst. 2. dub. 1. vbi diximus, Deum non

esse compositum ex genere & differentia. Qua ratione etiam colligitur, Deum propriè etiam non esse vnus vnitatis formalis; quia non habet naturam aliquam communem, vt inferius dicemus: etsi alio sensu possit dici vnus vnitatis formalis; quia est vnus vnitatis naturæ, seu quia habet naturam, quæ est vna in seipsa, etiam abstrahendo ab vnitatis numerica; non tamen genericam aut specificam, vt dictum.

Assertio II. Deus secundum naturam non solum est vnus vnitatis indiuisiōis, sed etiam vnus. Hoc tradit S. Thomas hic q. 11. & d. 24. q. 1. a. 1. & q. 9. de potent. a. 7. & a. 3. & in 1. d. 2. a. 1. cont. gent. cap. 42. alijque Doctores ibidem suis locis, speciatim Bonaventura, Durandus, Heruzus, Bassolis, Ariminenfis cit. dist. 24. Et quoad rem est de fide, ex omnibus Symbolis; præcipuè ex Nicæno, & S. Athanasij; contra varios variorum errores ac insanias.

I. Contra Gentiles Idololatrias, qui pro multitudine certorum corporum, puta animalium, statuarum, &c. Deos multiplicarunt. Quos ex instituto redarguit sacra Scriptura Psal. 113. Sap. 13. 14. 15. Isa. 44. & 46. Ierem. 10. Baruch cap. 6.

II. Contra Valentinum & Valentianos hæreticos, qui constituerunt duo rerum principia, adeoque Deos, quorum vnum dixere *profundum*, alterum *silentium*; ex quibus etiam triginta Bonas (Deos quasi secundarios) productos statuerunt, apud Irenæum, Philastrium, Augustinum, Theodoretum, Damascenum in libris de hæresibus.

III. Contra Carpoeratem, Apellem, adeoque contra Gnosticos & Apellias; item contra Manetem & Manichæos, qui duo prima principia, natura & voluntate sibi contraria statuerunt; bonum & malum; & hunc quidem Deum tenebrarum, & auctorem creaturæ visibilis & corporeæ; illum verò Deum & auctorem lucis incorporeæ & inuisibilis, apud citatos & Eusebium lib. 5. hist. cap. 13.

IV. Contra Cerdonem & Marcionem, qui duos Deos voluntate contrarios, vnum veteris, alterum noui Testamenti auctorem; illum iustum, & mundi Creatorem; hunc bonum ac misericordem, & Patrem Christifilii docuerunt, apud Irenæum lib. 1. c. 28. & 29. Epiphanium hæresi 41. Tertullianum lib. 1. aduersus Marcionem c. 6. & Eusebium lib. 4. hist. c. 10.

V. Contra Tritheitas, qui diuinam naturam in tres personas diuidebant, tresque Deos esse asseruerunt, quales fuerunt Peratæ apud Theodoretum lib. 1. hæres. fab. c. 18. item Philoponus apud Nicephorum lib. 18. hist. c. 48. & tribuitur à nonnullis etiam Ioachimo Abbati, & immerito Raimundo Lullo, de quibus suo loco in materia de Trin. Quem errorem renouauit etiam nostro tempore Valentinus Gentilis; qui tamen postea in Arianismum declinauit.

Probatur verò assertio aperte, primo ex Scriptura Deut. 4. v. 35. *Dominus ipse est Deus; & non est alius præter eum.* Deut. 6. v. 4. *Dominus Deus noster Deus vnus est,* 1. Reg. 2. v. 2. *Nec enim est alius extra te.* Psal. 17. v. 32. *Quis Deus præter Deum nostrum? & Psal. 85. v. 10. Tu es Deus solus.*

Secundo probatur testimonijs totius quasi humani generis. Hæc enim fuit sententia omnium pene Philosophorum, Græcorum, Arabum, Latinorum; quam inter eos etiam Sybillæ tradiderunt, vt videre est apud Eugubinum lib. 3. 4. & 5. perenn. Philosoph. Bene

Plato in Timæo, & Aristoteles lib. 1. & 8. Physic. & lib. 12. Metaph. Sed ex SS. Patribus, hanc veritatem ex instituto propugnarunt Tertullianus in Apologetico contra Gentiles, Lactantius lib. 1. diuin. Instit. Cyprianus lib. de Idolorum vanitate, Athanasius Orat. cont. idola, Damascenus lib. 1. de fid. cap. 5. & alij.

Tertio probatur assertio euidenter ratione naturali. Licet enim quidam dixerint, vnitatem Dei, non esse demonstrabilem; in quibus Ockamin 1. d. 2. q. 10. Bassolis q. 3. a. 3. Maior q. 1. concl. 3. Petrus de Alliaco q. 3. a. 3. Gabriel d. 2. q. 10. a. 2. & Cassalius lib. 1. de quadripart. Inst. cap. 17. & 18. contrarium tamen est verum, & omnino tenendum, vt in simili de existentia Dei pluribus dictum, q. 1. dub. 3. quæ huc etiam accommodari possunt; eademq; est communis sententia Theologorum, qui ex instituto plures huius rei demonstrationes afferunt; nominatim S. Thomas hic q. 11. a. 3. & lib. 1. cont. gent. cap. 42. Alensis 1. p. q. 14. mem. 2. & 3. Albertus in Sum. tract. 6. q. 29. Bonauentura, Richardus, Durandus, Scotus, & alij in 1. d. 2. Mihi satis efficaces videntur tres rationes illæ, quas assert. S. Thomæ hic cit. a. 3.

Prima ratio petitur ex simplicitate & actualitate Essentia diuinæ. Nam si Deus est essentialiter per hoc ipsum Deus, per quod est hic Deus; tum fieri non potest, vt essentia eius multiplicetur numero, & communis sit pluribus Dijs, adeoque vt sint plures Dij. Sed Deus plane per hoc ipsum essentialiter est Deus, per quod est hic Deus: Ergo impossibile est, vt essentia eius multiplicetur numero, & communis sit pluribus Dijs; adeoque vt sint plures Dij. Maior probatur tum à simili: Si enim Socrates per id esse homo, per quod est hic homo, tum sicuti non possunt esse plures Socrates, ita etiam non possent esse plures homines. Tum ratione. Quia differentia individualis non potest multiplicari, aut esse communis pluribus, vt patet: Si ergo differentia individualis constituit ipsam etiam essentiam alicuius rei, aut saltem est de essentia ipsius, fieri non potest, vt ipsius rei essentia multiplicetur. Minor probatur ex dictis de attributis & simplicitate Dei; illic enim ostensum est, non solum nullam esse compositionem in Deo ex natura & supposito, vel etiam hæc eicitate; sed etiam omnes perfectiones & attributa absoluta esse de essentia Dei.

Dicit aliquis; hoc argumentum solum probare, non posse esse plures Deos eiusdem nature & essentia; nihil tamen ob stare, quo minus plures sint Dij, diuersæ rationis & essentia. Respondeo; imo hoc ipsum etiam planè eadem ratione refelli. Nam ratio nature & essentia diuinæ in se non potest esse varia & multiplex, sed vna & eadem; quæ simul tota, cum omnibus attributis affirmatiuis & negatiuis, quæ de Deo in hoc tractatu demonstrantur, vniformiter conuenire debet Enti cui libet, quod est verus Deus; vt ex hoc tractatu liquet.

Secunda ratio petitur ex infinitate Dei; quam ita expono. Impossibile est, vt sint plura secundum naturam entia in ratione Entis simpliciter infinita: Ergo etiam impossibile est, vt sint plures Dij. Consequentia patet. Quia Deus est ens simpliciter infinitum per essentiam, ac in ratione Entis, ex qua st. 4

dub. 1. Antecedens probatur. Quia ad rationem Entis simpliciter infiniti secundum essentiam pertinet, vt vel formaliter, vel eminenter habeat omnem omnino perfectionem possibilem; vt ibidem dictum: sed impossibile est, vt secundum naturam plura sint talia Entia, quæ formaliter aut eminenter omnem contineant perfectionem possibilem: Ergo impossibile est, vt plura secundum naturam sint entia simpliciter infinita in ratione Entis.

Minor hæc probatur, quia nullum istorum Entium formaliter aut virtualiter continet perfectiones alterius; non formaliter, quia sunt nature numero distinctæ; ac proinde individua natura, & proprietates nature vnus, non sunt formaliter in altero; nec eminenter; quia si essent eminenter; tunc vnum illorum posset esse causa nature individua & perfectionum naturalium alterius; quod est impossibile: tum quia impossibile est, vt plura sibi inuicem in eodem genere sint causa: tum quia impossibile est, vt Ens causatum seu causabile sit Deus.

Et confirmari potest idem argumentum. Quia perfectiones essentielles Dei, etiam in individuo spectatæ, non possunt non esse perfectiones simpliciter, quæ proinde formaliter esse debent in Ente simpliciter infinito, vt ibidem dictum: atqui hoc ipso, quod entia secundum naturam multiplicatur, perfectiones essentialiter vnus in individuo, neque sit formaliter esse in altero; alioquin enim hoc ipso non essent plura entia secundum naturam, sed vnum: Ergo impossibile est, vt sint plura entia secundum naturam simpliciter infinita in ratione Entis. Vnde & antiqui Philosophi inquit S. Thomas, quasi ab ipsa coacti veritate ponentes principium infinitum, posuerunt vnum tantum principium.

Tertia ratio sumitur ab vnitatem ordinis, qui in mundo cernitur. Omnia enim, quæ in mundo sunt, videmus esse optimè ordinata inter se; ita vt vnum sita ac firma lege seruiat alteri; & alterum sit causa alterius, &c. Ergo necesse est, esse quandam primum ac supremum moderatorem, à quo omnia ordinentur: atqui non potest esse primus & supremus moderator ordinans omnia, nisi sit vnus tantum: Ergo necessariò est vnus tantum. Minor hæc probatur. Quia quod est primum in aliquo genere, debet esse perfectissimum ac per se tale, non per accidens: atqui nisi moderator ille sit vnus tantum, non erit perfectissimus, ac per se talis: non perfectissimus; quia melius multa reducitur in vnum ordinem per vnũ, quàm per multos; nec per se; quia per se vnus vnus tantum est causa; multa verò non sunt causa vnus; nisi per accidens, in quantum scilicet sunt aliquo modo vnum. Cum igitur illud, quod est primum, sit perfectissimum & per se, non per accidens; necesse est, vt primum reducens omnia in vnum ordinem, sit vnus tantum; quod est Deus.

Assertio III. Deus est proprie vnus vnitatem illa individuali transcendentali. Ita ex conuentione S. Thomæ, Bonauentura, Durandus, Heruzus, Bassolis, Ariminenfis cit. d. 24. Marsilius in 1. q. 27. a. 1. contra Iandunũ, & alios, quorum meminit S. Thomas q. 9. de potent. a. 7. qui dicebāt, Deũ improprie solum esse vnũ vnitatem transcendentali. Sed est falsa sententia. Vnitatem enim transcendentalis sequitur Ens: Ergo sicut Deus proprie est ens, ita proprie est vnus; præsertim

cum ratio indiuisiōnis in seipso illi vel maximè conueniat. Nec verum est, vnitatem transcendentem, quicquid sit de prædicamentali, aliquid accidens superaddere Enti, vt ex communi dictum. Nec vnitatis illa dicitur priuatio strictè, quasi aptitudinem ad oppositam formam in subiecto supponat; sed late, quia supponit subiectum. Neque Deus dicitur sua vnitatis, aut ipsa vnitatis. si hæc sumatur formaliter, pro negatione; sed fundamentaliter, quatenus priuatio etiam inuoluit fundamentum.

Assertio IV. Deus non est vnus indiuidualiter secundum suppositum, seu vnitatem suppositi. Est de fide, ex materia de Trinitate; vnde constat, in vna & eadem singulari natura diuina esse tria supposita, siue tres personas. Neque verò rationes, quas contra pluralitatem seu diuisiōnem indiuidualem naturæ diuinæ attulimus, pugnant contra pluralitatem personarū in vna & eadem natura diuina, vt partim consideranti patebit, partim suo loco magis declarabitur.

Assertio V. Etsi quidem Deus non sit proprie vnus numero, iuxta vsum vocabulorū magis receptum; nihil tamen obstat, quo minus dicatur vnus numero, si numerus paulo latiori acceptione extendatur ad transcendentem. Primam partem tradunt S. Thomas hic q. 11. a. 3. ad 2. & in 1. d. 24. q. 1. a. 1. & q. 9. de potentia a. 7. cum suis ibidem, Bonauentura in 1. d. 24. a. 1. q. 1. Richardus a. 1. q. 1. Scotus q. vn. Basilis q. vn. a. 2. Aureolus a. 4. Henricus in Sum. art. 29. q. 7. qui posteriores, excepto S. Thomæ, absolute negant, Deum esse vnum numero. Quo modo sæpe loquuntur etiam Patres, Ambrosius lib. 8. in cap. 18. Lucæ, Basilus epist. 14. Bernardus lib. 5. de considerat. Item Rufinus in exposit. Symboli, in illa verba, *In vnum Deum*.

Ex quibus etiam sumitur ratio I. Quia vnum numero, iuxta vsum vocabulorum magis receptum, est principium numeri, seu multitudinis existentis, aut saltem possibilis, secundum idem nomen; ita enim dicimus Socratem esse vnum numero hominem; quia sunt plures secundum idem nomen; quorum numerandorum principium esse potest Socrates; at verò Deus nullo modo est multiplicabilis; non ergo ita proprie dicitur, Deus est vnus numero. Et hanc rationem habent Rufinus & S. Bernardus locis cit. qui propterea etiam dicunt, Deum vnum dici, non numero, sed vniuersitate. II. Quia apud Philosophos recepto loquendi vsu, numerus est multitudo non qualibet, sed in quantitate discreta, quæ constat vnitatibus quantitatis, vt patet ex Aristotele in prædicamento Quantitatis: talis autem vnitatis numerica non conuenit Deo, vt patet. Quo sensu etiam Basilus loc. cit. dixit, Deum non esse vnum numero, quia numerus est *corporalis natura*.

Secundam partem tradunt Alensis 1. p. q. 13. m. 3. Ariminensis d. 24. q. 1. a. 2. Marfilus q. 27. a. 1. Mayron. q. 4. prolog. & videtur communis. Probat. Quia omnis multitudo entium constituit numerum saltem transcendentem: sic enim etiam dicimus esse tres personas diuinas; item duas naturas & voluntates Christi; iuxta ipsius Scripturæ & Ecclesiæ doctrinam: atqui ex omni vnitatis multiplicata coalescit multitudo; ergo etiam ex omni vnitatis multiplicata coalescit numerus. Ergo cum Deo proprie conueniat vnitatis transcendentalis, ea simul

iuncta cum alijs entibus creatis, quibuscum in ratione saltem analogica entis conuenit, constituit numerum: ac proinde rectè hoc modo dici poterit, Deus vnus numero, hoc est, qui cum & in se sit indiuisus, & diuisus ab alijs entibus, vna cum iisdem possit numerum constituere. Accedit quod etiam si Deus secundum rationem Deitatis, non possit dici vnus numero positue; quasi nimirum connumerabilis alijs sub ratione eiusdem nominis; potest tamen dici vnus numero negatiue; non quia sit vnus ex aliquo numero secundum idem nomen, sed quia in seipso caret numero; quo modo etiam Solem dicimus vnum numero Solem. Neque contra hanc sententiam hoc modo explicatā vim habent argumenta, quæ ab oppositæ sententiæ authoribus adferuntur.

Assertio VI. Deus secundum essentiam est maximè vnus; adeo vt nulla res creata, vlla potètia ad vnitatis ei? perfectionem possit pertingere. Ita S. Thomas hic q. 11. a. 4. & in 1. d. 24. q. 1. & communis omnium Doctorum; quam sæpe etiam tradunt Patres, maximè cum Deum vocant ipsam *Vnitatem*; in quibus sunt Ambrosius in Symbolum Apost. cap. 1. Marius Victorinus libro 1. contra Arium, Anselmus in prologo, cap. 18. post antiquos Philosophos, apud Eugubinum lib. 3. perenn. Phil. cap. 5. 6. 7.

Probat. & declaratur ratione S. Thomæ. Quia vnus, idem est, quod Ens indiuisum; ac proinde id est maximè vnus, quod est maximè Ens, & maximè indiuisum; sed Deus est maximè Ens, vt patet ex dictis, & maximè indiuisum, quod probatur. Quia tametsi indiuisio, pro vt formaliter est priuatio diuisiōnis rei cuiusque in se, siue in seipsa, excludens scilicet pluralitatem sub eodem nomine & ratione, non recipiat, magis ac minus; recipit tamen absolute spectata, secundum quod & vnde cunque maiorem vel minorem indiuisiōnem & simplicitatem coniunctam habet; & ipsa diuisio, quam negat, est minor; vel magis etiam (non solum secundum actum, sed etiam secundum potentiam) diuisiōnem eiusdem generis negat. Quo modo vnum specie magis vnum est, quam vnum genere; & vnum numero magis, quam vnum specie; & rursum vnum numero magis hoc modo vnum est, cui repugnat omnis multiplicatio numerica, etiam in sua specie, quam id, quod solum habet actualem indiuisiōnem numericam; & rursum vt raris modo illud, quod magis simplex est, ac minus habet in se compositionis.

Iam verò natura diuina, siue Deus secundum naturam ita vnus est indiuiduè vnitatis, seu indiuisiōne non solum actuali, sed etiam potenciali, vt implicet contradictionem, esse plures numero Deos; quod nulli naturæ creatæ conuenit. Deinde etiam non habet in se, siue in sua essentia, pluralitatem vllam, etiam secundum quid, seu in quocunque genere entis, ob summam simplicitatem, vt dictum quæst. 2. dub. 1. Est ergo Deus maximè vnus. Et confirmatur. Quia vnum opponitur diuisiōni & multitudini; Ergo vbi est maior indiuisio, & minor pluralitas, est etiam maior vnitatis; in Deo est maior indiuisio, & minor pluralitas, quam in re vlla creata esse possit, vt dictum, Ergo, &c.

Nec obstat, quod in Deo sint plures personæ. Nam ea pluralitas non est in ipsa natura, siue secundum naturam; sed in personis, in quibus non est in Deo vnitatis,

vt dictum, sed Trinitas. Dices. Hinc saltem confe-
qui, maiorem esse vnitatem vnus cuiuslibet perso-
næ diuinæ, quam naturæ: quia hæc admittit plurali-
tatem personarum; quam illa excludit. Respon-
deo, negando assumptam sequelam. Cum enim,
ratio summæ vnitatis consistat in negatione omnis
diuisionis, seu multitudinis realis, tam actualis,
quam potentialis, iam verò & Deus, siue natura di-
uina, & persona quælibet, ex æquo careant omni
diuisione & diuisibilitate à parte rei, non potest vri-
tas perfectior & maior esse vnus, quam alterius. Nec
pluralitas impedit vnitatem rei, nisi quæ vel rem,
ipsam à parte rei diuidit, vel constituit, vel saltem,

cum ea compositionem facit: quorum nihil Trini-
tati personarum conuenit, respectu naturæ diuinæ;
neque enim vel natura diuina ea Trinitate diuiditur,
aut plurificatur: neque constituitur; neque vna
cum ipsa compositionem ullam facit; sed cum tri-
bus personis ipsa, in se vna & simplicissima existens,
perfectissime identificatur, vt dictum supra quæst. 2.
dub. 1. de simplicitate Dei, & magis patebit in ma-
teria de Trinitate. Vnde etiam S. Bernardus lib. 5.
de consid. cap. 7. & 8. ait; inter omnia, quæ vna di-
cuntur, arcem tenere vnitatem Trinitatis, qua
tres personæ in vna substantia
sunt.

QVÆSTIO VI.

De Visione, ac Incomprehensibilitate Dei, seu modo cognoscendi Deum.

S. Thomas 1. p. q. 12. aa. 13.

Absoluetur hæc quæstio duodecim dubitationibus. I. An Deus clarè & intuitiue ab intelle-
ctu creato videri possit; & an etiam oculis corporeis; ac in hac vita. II. An Deus videatur,
aut quidditatiue videri seu cognosci possit, per aliquam similitudinem vel speciem
creatam, seu cognitione abstractiua; seu intuitiua; etiam secundum potentiam abso-
lutam. III. An intellectus creatus videre Deum possit, naturalibus viribus; an potius indigeat ad
hoc supernaturali aliquo lumine & habitu, etiam secundum absolutam Dei potentiam. IV. Virum visio
effectiue procedat ab intellectu beati; & quodnam in eà re sit proprium munus luminis gloriæ. V. An,
& quanam ratione, videntium Essentiam Dei, vnus alio perfectius Deum videat. VI. Virum Deus
etiam comprehendi possit ab intellectu creato; & in quo hæc Dei Incomprehensibilitas consistat. VII.
Virum videns Essentiam Dei necessariò videat etiam relationes, seu personas; & omnia, quæ sunt for-
maliter in Deo. VIII. An à beatis, in Deo, seu Verbo, videri possint etiam creatura, & decreta libe-
ra diuinæ voluntatis. IX. Quanam ratione & modo in Verbo videantur creatura; & vnde oriatur
diuersitas visionis creaturarum in Verbo. X. Quæ, & quandoam à beatis singulis in Verbo videantur
creatura. XI. Virum saltem per absolutam Dei potentiam à creato intellectu videri possit Deus, non
vis à vlla creaturâ. XII. Virum per absolutam potentiam fieri possit, vt in Deo, seu Verbo videantur
omnia, quæ in Deo eminenter continentur. Ex quibus quatuor priores dubitationes pertinent ad cau-
sam efficientem visionis Dei; quinta verò & sexta ad ipsam per se visionem, seu modum visionis; sex
postrema ad obiectum visionis.

DVBIVM I.

*An Deus clarè & intuitiue, seu
quidditatiue ab intellectu crea-
to videri possit; & an etiam ocu-
lis corporeis; atq; in hac vita.*

S. Thomas 1. p. q. 12. a. 1. 3. 11. 12. & 13.

S. Thomas initio huius quæstionis 12. hanc quæ-
stionem de Visione & Incomprehensibilitate
Dei, seu de modo cognoscendi Deum, cum præce-
dentibus ita connectit, vt significet, in eà non expli-
cari peculiare aliquod attributum Dei; sed solum,
quod cum de perfectione Essentiæ diuinæ actum fu-
erit hætenus, consequens sit, vt inquiratur etiam, an

& quomodo à nobis ea perfectio cognosci possit.
Quia in superioribus, inquit, considerauim⁹ qualiter Deus
sit secundum seipsum; restat considerandum, qualiter sit
in cognitione nostrâ; id est, quomodo cognoscatur à crea-
tura.

Sed quia reuerà etiam Deus passim in Scripturis,
& à SS. Patribus vocatur Inuisibilis & Incomprehensi-
bilis; non immeritò potest hæc quæstio ad peculia-
ris attributi tractationem referri; latiori nimirum
aliquo significato attributi, vt dictum supra initio
huius disputationis, & quæst. 2. dub. 1.

Ad quem etiam modum Gregorius de Valentia
hæc initio quæstionis 12. hanc quæstionem referri
putat, ad explicandam de Deo passionem illam En-
tis, quæ dicitur Verum; cum alioqui S. Thomas de
veritate, prout Deo competit, speciatim ac ex insti-
tuto vix agat; licet agat de vero q. 16. in quantum est
obiectum diuinæ scientiæ.

Vt &